

unum responsorium, ad quod illi nolunt Gloriam dicere, novissimum est, quamvis sit unum, sicut novissimum est illud tertium sive quartum, ad quod cantanda est Gloria. Talis est sensus in isto uno responso, qualis est in illo loco, ubi de Domino dicit *primogenitus* et *unigenitus*; primogenitus enim dicitur, quia primus natus est secundum incarnationem, et unigenitus, quia tantum unus natus est de B. V. Maria, ac per hoc omnis unigenitus potest dici primogenitus, quamvis non omnis primogenitus possit dici unigenitus, quia primogenitus potest dici, sive subsequantur alii, sive non.

*Cap. XV.*

QUIBUS TEMPORIBUS DICATUR ALLELUJA.  
*A sancto Pascha usque ad Pentecosten sine intermissione dicatur Alleluja tam in psalmis, quam in responsoriis.* De Alleluja jam superius dictum est, cujus linguae sit et quid interpretetur, et quare translatores illud noluerunt interpretari in latinum in ipsis libris, in quibus invenitur, sicut alia verba interpretari studuerunt. Nunc videndum est, qua ratione dicit *a sancto Pascha usque ad Pentecosten*, cum Pascha dicitur totis illis quinquaginta diebus? Sed cum dicit *a sancto Pascha usque ad Pentecosten*, quasi diceret: ab initio Paschae usque ad finem Paschae. Ideo enim dicit *sine intermissione*, quia in omnibus psalmis praeter de completoriis, et in omnibus versibus et in omnibus responsoriis vult dici Alleluja. Notandum est enim, quia, cum dicit *usque Pentecosten*, intelligitur, usque ad octavam Pentecosten Alleluja cantari debere. In hoc etiam loco videndum est, quare alii dimittunt Alleluja a septuagesima, cum S. Benedictus usque ad caput quadragesimae dicit canendum esse Alleluja. Ideo dimittunt in capite septuagesimae, quia mos fuit apud antiquos, a septuagesima incipere initium quadragesimae et sic dimittebatur Alleluja. Nam antiquis usus fuit, antequam septuagesima celebraretur, in capite quadragesimae dimitti Alleluja, sicut initium quadragesimae incipiebatur, sicut etiam nunc multae ecclesiae